DE NEPHRITIDE EJUSQUE MORBIS SECUNDARIIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVII. M. FEBRUARII A. MDCCCXXXIX
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR

EMANUEL JACOBUS ADLER
RIGENSIS.

Opponentibus:
F. KEBER, med. et chir. Dr. med. pract.
L. BORCHARDT, med. et chir. Dr.
H. BLANCK, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

OPTIMO, HUMANISSIMO,

SUMME VENERANDO

MATTHIAE LEHMANN

NEC NON

FRATRIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

SIGISM. JAC. ADLER,

MART. JAC. ADLER

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

INTROITUS.

Morbi renum, prius nimis neglecti, novissimis temporibus medicorum oculos in se converterunt, quum anatomes pathologicae incrementa eos in lucem clariorem protraxerint. Novum chronicarum affectionum genus a Cel. Bright est detectum et aliorum observationibus comprobatum, quamquam vera ejus natura, utrum sit morbus inflammatorius, an congestivus, an colliquativus, nondum extra omnem dubitationem posita est. — Multae praeterea exstant morborum renalium species, cognitu pariter difficiles atque nuperrime minus accurate descriptae. Ad quas praeter varias desorganisationes suppuratio renum, induratio benigna et hydrops pertinent.

Quum igitur in eo sim, ut secundum leges academicas opusculo quodam in lucem edito ad summos in medicina et chirurgia honores adspirem, non alienum a re fore existimo, si inflammatorias renum affectiones earumque morbos secundarios describere et inter se comparare coner.

Nephritis acuta vel idiopathica est, vel calculis renalibus provocatur, et secundum hoc causarum discrimen etiam, quod ad symptomata morbi in duas species secedit. Nephritis chronica fere semper mutationem quandam organicam, vel destruc-

tionem functionisque laesionem adducit. Induratio et hydro renalis plerumque inflammationis chronicae sequelae sunt, scessus acutae. Morbum Brightii iis morbis adnumerand esse, qui ex irritatione vasorum chronica originem ducu mihi ex pluribus causis probabile est, quas infra fusius ponam; quare non temere egisse mihi videor, quod eum mor secundariis nephritidis adnumeraverim. Diabeten autem, qua vis interdum stadium congestivum habeat, veram colliquation puto, eamque ob causam ejus nullam mentionem feci. Pari etiam vitia organica, scirrhum, tubercula, steatoma, lipor fungum haematodem et medullarem cet. silentio praeterii, qu natura eorum in inflammatione collocari nequeat. Denique lith sin modo eatenus memoravi, quatenus nephritis calculosa provocatur. Proprie eam alterationem zoochemicam esse istimo, cum scrophulosi aut arthritide arctissime cohaerent Jam vero profitendum est, me in disquisitione sequente ma ad symptomatologiam et diagnosin, quam ad aetiologiam curationem respexisse, ne opusculum meum solitos dissertat nis inauguralis fines excederet.

Caput I.

DE NEPHRITIDE.

Symptomata nephritidis vel ex functione renum laesa, vel aliorum systematum organicorum, quae aut latiorem aut arctiorem nexum cum renibus alunt, perspicua sunt. Secundum decursum atque causas jam initio tres species distinguendae sunt, nephritis acuta, calculosa, chronica. (1)

Inflammatio renum acuta, idiopathica, incipit dolore continuo initio aliquantum remittente et leniore, acuto, ardente, profundo, fixo, saepe pungente, in regione lumbali superiore prope columnam vertebralem. Tactu et pressione parum augetur, magis tussi, sternutatione et quovis nisu corporis vel concussione. Dolor per ureterum decursum usque ad vesicam et urethram propagatur, unde dysuria et ischuria ureterica, tenesmus vesicae, minctus difficilis spasmisque interruptus oboritur, ita, ut dolores his in partibus nonnunquam majores sint, quam in renibus affectis. Dolor porro per vasa et nervos spermaticos, per inguinalem canalem, ad testem extenditur, qui retrahitur et dolet; quin etiam crus alterutrum stupore et spasmis afficitur, id quod

---

(1) J. L. Schoenlein: allgem. u. specielle Pathologie und Therapie. Vol. I. pag. 322.

tamen in nephritide calculosa, praecipue si calculus descend saepius occurrit (1). Situs horizontalis atque sedens omniu facillime fertur; situs lateralis, imprimia in latere affecto, di cillime. Urinae secretio minuta, si uterque ren inflammatus e urina nulla; urina rubra, flammea, ardens, interdum sangui mixta, adeo sanguis purus (2). Cruor chemica analysi dete tur (3). In summo inflammationis fastigio urina parcissima, p lida, serosa fit (4). Dysuria facile in ischuriam renalem trans si ren alter etiam inflammatione corripitur, vel per consensu spasmo afficitur. Conamina mingendi crebra, etsi vesica pau aut nullo lotio impleta est. Ex connexu nervorum renaliu cum illis ceterorum viscerum abdominalium praecordiorum a xietas, sapor urinosus (5), nausea, vomituritiones et vomit biliosi, flatus, dolores colici, tenesmus ani, obstructio alvi, o untur. Febris vascularis inflammatoria, acuta, plerumque syn cha, cum typo continuo continente accedit; pulsus magnu durus, fortis. Frigoris insultus vehemens, saepissime mo eruptionem antecedit, quod ardore, lingua sicca, cutis calo excipitur.

Inflammatio renum acuta fere semper in alterutro tantu latere occurrit et renem sinistrum saepius quam dextrum c cupat. Cel. Hoffmann (6) hoc propterea fieri credidit, quod r sinister proxime adjaceat flexurae coli, quae faecibus disten induratis, aut flatibus, renem et vascula sanguifera ejus co

---

(1) Cullen: Anfangsgr. d. pract. Arzneik. Vol. I. pag. 4 Van Swieten: Comment. §. 993.
P. Frank: Epitome d. hom. morb. curand. L. II. §. 258.
(2) Hecker: Kunst die Krankheiten d. Menschen z. heil Theil I. pag. 523.
(3) Schoenlein l. c. pag. 323.
(4) M. Troja: Ueber d. Krankheiten d. Nieren- u. Ha blase etc. Auszug a. d. Ital. Leipz. 1788. 8. pag. 37—38.
(5) Dzondi: Lehrbuch d. Chirurg. pag. 344.
(6) Med. ration. et system. Tom. IV, part I. Sect. II. p. 6

primat. In nephritide calculosa saltem omnibus temporibus constitit, insultum nephralgicum maxime exoriri, si aegroti cibos viscidos et crudos, aut alia flatus producentia assumserint. Rarissime uterque ren inflammatione petitur (1).

Prout inflammatio levior, vel gravior, profunda vel superficialis est, symptomata magis minusve vehementia evadunt. Si tunica propria renum sola est affecta, dolores quidem vehementissimi sunt, morbus autem citius et melius decurrit. Jam Celsus (2) nephritidis signa diagnostica satis bene descripsit, dicens: „Si dolent coxae et quae sunt inter has superque pubem, et accedunt frequentes ructus, interdum vomitus biliosus et externae partes frigescunt, urinae crebra cupiditas, sed magna difficultas est, et quod inde excretum est, aquae simile, vel rufum, vel pallidum est, paulum tamen in eo levamenti, alvus vero cum multo strepitu redditur, utique in renibus vitium est.“

Altera species nephritidis, calculosa, jam initio alium symptomatum complexum exhibet. Dolores enim magis subito et inopinato oriuntur atque statim magnum vehementiae gradum assequuntur. Tempore nocturno insultus nephralgicus saepissime aegrotos expergefacit, qui, se colica affectos esse, credere solent. Summus enim dolor non tam in regione lumbali, quam in anteriore abdominis parte, locum habet, ita, ut directionem ureterum sequens, in medio loco inter umbilicum et cristam anteriorem superiorem ossis ilium vehementissimus sit. Aegroti saepe clamorem edunt, si hic locus manu leviter tangitur. Renes ipsi minus dolent, imo hic magis sensus obtusus percipitur. Crus lateris affecti stupore, torpore, spasmis laborare, jam supra memoravimus, quod vel a compressione renis tumentis in origine nervi cruralis, vel vasorum sanguiferorum mag-

---

(1) Van Swieten: Comment. Tom. III §. 34. pag. 219.
(2) Lib. II. Cap. VII. §. 60, 61.

norum et musculi psoae pendere potest; interdem oedema, aut impotentia pedibus incedendi, accedit; quin etiam dolores nonnullis in casibus sursum extenduntur, ita, ut humerus lateris affecti atque brachium doleant. Vomitus consensualis, qui etiam in nephritide calculosa raro deficit, saporem specificum, acidum excitat.

Ex hac descriptione apparet, nephritidem calculosam a primordio magis neuralgiae naturam habere et postea demum, si dolores intermittentes typum remittentem assumserint, in veram inflammationem transire. Itaque nonnulli pathologi, P. Frank aliique, eam nephralgiam calculosam nominarunt atque statum eum, quem nos nephritidis nomine descripsimus, paroxysmum nephralgicum nuncuparunt. Schoenlein (1) autem inter rephritidis species sub nomine calculosae etiam hanc nephralgiam recepit eamque in duas varietates divisit, quarum altera calculis renalibus, altera dyscrasia arthritica provocetur.

Irritatio inflammatoria interdum chronicum decursum habet atque status morbosos efficit, quos Schoenlein nomine nephritidis chronicae descripsit. Hujus quoque duas varietates affert, alteram adolescentibus propriam, calculis renalibus ex diathesi scrophulosa exortis, provocatam; alteram senibus peculiarem, cui urodialyseos nomen tribuit. Ad utramque formam sensus obtusus in regione lumbali, periodice increscens atque evanescens, pertinet. In priore interdum dolor pungens versus scapulam adscendit. Secretio urinae non semper normalis, urina pallida, stranimea, saepe aquosa, subviridis, reactionem acidam atque acidi carbonici abundantiam ostendit. Stranguria saepe accedit et sponte evanescit. In secunda specie urina colorem magis fuscum, rubrum offert et facilius mittitur, molestiae consensuales saepissime simul adsunt.

---

(1) l. c. pag. 326.

Quamvis autem nephritis in universum saepissime symptomatum hucusque expositorum complexum praebeat, tamen interdum symptomatibus consensualibus, quae in aliis organis provocantur, illa adeo occultantur, ut ante mortem medici oculos plane fugiant. Lieutaud (1) aliique observarunt, dolorem nephritidi peculiarem nonnullis in casibus plane defuisse.

Ex nephritidis descriptione hucusque allata satis apparet, eam non semper tam manifestam esse, ut primo insultu cognosci possit. Morbi, quibuscum maximam similitudinem habet, psoitis, lumbago inflammatoria, enteritis, peritonitis, dolores colici et calculosi sunt. Primum, quod ad psoitidem pertinet, motus femoris multo difficiliores et cum majoribus doloribus conjuncti sunt, quam in nephritide. Extensio et abductio femoris propter extensionem musculi psoae, flexio et rotatio propter contractionem ejus vehementissime dolent. Aeger situm sedentem optime fert, situm horizontalem supinum vix tolerat. Porro diuresis anomaliae, dolores trahentes versus vesicam desunt. In lumbagine flexio corporis versus femora maxime dolet, vomitus consensualis, dolores testiculorum, urina flammea desunt; dysuria, si adest, magis vesicalis quam renalis est. Baglivius aliud symptoma diagnosticum affert, dicens: „Dolorem lumborum rheumaticum a nephritico per hoc certissimum signum distinguere poteris. Pete ab aegro an dum in terram incurvatur et exinde erigitur, cum difficultate erigatur, adeo ut per medium scindi videatur, si haec adsint, pro certo habeto dolorem illum non esse nephriticum sed rheumaticum.“ Etiam enteritidem fallacia nephritidis symptomata habere jam Paulus Aegineta adnotavit. Et hoc quidem eo magis fieri potest, quum dolor in regione lumbali obtusus interdum doloribus pungentibus in anteriore abdominis parte superetur. His in

---

(1) Hist. anat. med. edit. a Portal. Tom I. L. III. obs. 1071—72.

casibus imprimis ad dolorum decursum et ad qualitatem et ad quantitatem urinae spectandum est. Deinde vomitus consensualis in nephritide idiopathica serius intrat, atque dolores trahentes testiculorum, stupor femoris, in enteritide desiderantur. In enteritide dolores magis circa umbilicum versantur. Peritonitidis ratio similis est, ita tamen, ut vomitus in posteriore stadio exoriatur. Nephritis calculosa praeterea eo maxime differt ab enteritide et peritonitide, quod subito incipit atque celerrime magnum vehementiae gradum assequitur. Commutatio nephritidis cum colica minus timenda est, nisi haec characterem inflammatorium continentem assumserit.

In nephralgia simplice, calculis provocata, irritatio febrilis non adest; dolores magis intermittentes, quam continentes. Facile quidem nephralgia in nephritidem transire potest a principio autem nequit inflammationibus adnumerari.

Cap. II.

DE MORBIS NEPHRITIDIS SECUNDARIIS.

Nephritis, uti omnes inflammationes topicae, nisi curatione antiphlogistica aut naturae conamine critico perfecte solvitur, diversos exitus magis minusve perniciosos sortiri potest, inter quos suppuratio primum locum tenet. Rarius induratio et gangraena occurrunt. Nephritidis exitus pessimus gangraena est. Dignoscimus eam ex morbi praegressi vehementia immani ejusque nec solutione nec suppuratione exorta, ex prostratione virium omnium, remissione dolorum subitanea, deliquio animi, deliriis, singultu, vomitu continuo, ex sudore frigido, viscido, urinoso, ex pulsu infirmissimo et intermittente, ex ischuria completa, aut urina putrida. Praeter has nephritidis autem sequelas, si inflammationis decursus lentescit, irritatione chronica alii status morbosi provocantur; quibus exsudatio serosa,

sive hydrops, atque vitia quaedam organica adnumeranda sunt. Hae autem affectiones species morborum diversas constituunt, quas singulatim recensere, non a re alienum fore existimo.

A. De suppuratione.

Duae suppurationis varietates in nephritide distinguendae sunt, acuta atque chronica. Prior, sive abscessus renalis, inflammationem acutam subsequitur, altera in phthisin renalem transire potest, si renes irritatione permanente atque ulceratione destruuntur.

Si nephritis ultra diem septimum, decimum quartum, summum ultra decimum septimum protrahitur, symptomata inflammationis, quamvis gradu mitiore, tamen nondum plane desunt; horripilationes irregulares saepe occurrunt, dolor pulsans, obtusus, cum sensu ponderis, tensionis, formicationis conjunctus est, maxima cum probabilitate concludere licet, suppurationem aut proxime instare, aut jam accessisse. Jam Galenus (1) symptomata suppurationem praedicentia optime recensuit, dicens: „si dolores cum horrore interpolato inordinatim fieri videantur et febris absque ullo ordine, tum pronum in ventrem decumbere jussum, atque interdum in alterum latus, ut sublimis sit partis affectae situs, laborantem interroga, num circa renem dolentem veluti suspensi cujusdam ponderis sensum percipiat. Etenim quum haec ipsi acciderint, abscessum colligi conjicere oportet."

Quo facto abscessus renalis vel extrorsum vel introrsum aperiri potest. Frequentissime quidem, vomica rupta, pus in pelvim renalem effundi solet (2), quandoque tamen alias vias petit. Hippocrates (3) jamjam observationes de abscessu ver-

---

(1) De locis affectis, L. VII, Cap. III tom. VII. pag. 510.
(2) Jo. Dem. Metzger: Vermischte Schriften, pag. 40 cett.
(3) περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, Cap. XV, XVI. pag. 216.

sus exteriora protuberante apposuit: „Cum autem dolor presserit," inquit, „multa calida lavato, et tepefactoria, qua parte maxime dolet, adhibeto. Cum autem intumuerit et elevatus fuerit, sub id tempus juxta renem secato, et extracto pure, medicamentis urinam cientibus sanato." Si abscessus introrsum patescit, urina quidem saepissime sedimentum puriforme praebet, et colore perspicuum; in rarioribus autem casibus fieri potest, ut pus fasciam renalem perrumpat atque supra fasciam iliacam secundum psoae decursum descendat. Ita versus regiones inferiores demittitur et abscessum in inguinibus, vel suppurationem musculi psoae, fistulas stercoreas et alia damna gravia gignit. Ill. Reil observavit rarum et notabilem casum, quo abscessus prope raphen scroti prorupit. Heer (1) casum inauditum retulit: abscessum renalem, cum diaphragmate concretum, per hoc sibi viam ad pulmonem sinistrum aperuisse, exinde phthisin consumatam, tandem mortem secutam esse. Accidit etiam, ut abscessu increscente peritonaeum rumpatur et pus in cavum abdominis effluat. Inde ascites purulentus, quem veteres vocarunt, oritur, quo peritonitis acutissima, omnibus in casibus lethifera, provocatur.

Quum renes intestino colo prope adjaceant et partes inflammatae cum vicinis quandoque coalescant, fieri potest, ut ren colo adnascatur atque abscessus renalis, praecipue si externa in superficie haeret, viam ad cavum intestini sibi muniat et pus per alvum evacuetur. Tali modo etiam versus hepar, ventriculum, lienem tendere potest et phthisin hepaticam, vomitum et diarrhoeam purulentam efficere (2). Interdum abscessus praeclusus saccos permagna puris mole repletos format, et

---

(1) Dissert. de renum morbis, Halae 1790. 4. Cap. VII. pag. 27.
(2) Hippocr. l. c. Cap. XVI. Van Swieten: commentar p. 24.

aeger, pure in renibus diutius retento et in sanguinem resorpto, febre hectica orta, moritur.

Sunt vero casus rarissimi, in quibus suppuratio renum sine dolore et aliis signis per annos perseverare et febris hectica aut adesse aut deesse potest et in cadaveribus saepe ren totus exesus (1) et loco ejus nil nisi tunica externa pure impleta invenitur.

Si pus in renibus collectum neque extrorsum neque introrsum evacuatur, irritatio vasorum, ut supra memoravi, saepissime accedit atque febris hectica oritur, quam mors serius ocius sequitur. Interdum autem accidit, ut suppuratio, quamvis pus vel cum urina, vel per fistulas defluat, tamen irritatione chronica sustineatur. Cujus irritationis causae diversae esse possunt; plerumque calculi, rarius tubercula aliave corpora aliena, vel alienorum partes agentia. Tum igitur suppuratio facile in ulcerationem transit, quae, si curatione cohiberi nequit, ad mortem usque, perdurat. Itaque jamjam phthiseos renalis symptomata afferenda sunt, quae affectione tantummodo locali ab aliis phthiseos speciebus differt.

Phthisis renalis, sicuti nephritis et suppuratio, saepissime alterutrum modo renem infestat, magis sinistrum, quam dextrum (2). Aegroti dolorem prementem vel in una renis alterius parte, motibus increscentem, vel in utraque regione lumbali queruntur. Uterque ren rarius afficitur, quam in phthisi pulmonali pulmo uterque, quoniam irritatio difficilius ab altero ad alterum renem transfertur. Dolor secundum ureteres usque ad vesicam urinariam tendit. Urina pure mixta est, parca et cum stranguria mingitur. Missa initio turbida, paulo post sedimentum

(1) Loders: Journal f. Chirurg. Bd. III. Seite 368.
(2) Morgagni epist. XL. art. XIII.

puriforme, striis sanguinolentis commixtum, ostendit atque, si lithiasis morbi causa est, arenulis plenum. Pulsus frequens, celer, exacerbationes vespertinae, diarrhoeae colliquativae accedunt; macies celerrime augetur, vires labefactantur, lingua sicca, rubra, coloris carnosi. Phthisis renalis cum colica renali confundi potest, in qua tamen sedimentum purulentum atque febris hectica desunt. A phthisi vesicae urinariae dolore rodente et urente atque foetore urinae putrido differt, qui ad hunc morbum imprimis pertinet.

Nephrophthisis secundum causas in diversas species secedit, quarum Schoenlein (1) quinque enumerat, scrophulosam, arthriticam, impetiginosam, calculosam, tuberculosam. Calculosa frequentissima est et aetate juvenili pariter ac senili occurrit. Arthritica aetati provectiori peculiaris, tuberculosa rarissima. Decursus nephrophthiseos chronicus est, ita ut saepissime per plures annos perduret. Sanari quidem interdum potest, potissimum si ex calculis renalibus pendet, qui vel per fistulas, vel per uretres evacuantur. Fere semper autem mors sequitur, vel colliquatione inducta, vel modo insultu inflammatorio, vel ruptura peritonaei. Prognosin in universum funestissimam esse atque curandi conamina fere semper irrita fieri, inter omnes constat.

B. De induratione.

Rarior nephritidis exitus, sicut omnium inflammationum, induratio est, praesertim quum renes et in statu integro sanguine referti sint. Organa autem omnia, sanguinis affluxu abundantia, ad suppurationem magis quam ad indurationem pro-

---

(1) l. c. Vol. III. pag. 138.

pensa esse, experientia docuit. Nephritis igitur acuta, idiopathica, fero nunquam talem exitum sortitur. In chronica autem, imprimis si aegroti diathesi scrophulosa affecti sunt, exsudatio lymphatica atque infiltratio parenchymatis saepius occurrit (1). Patet autem, nos hoc in loco tantummodo de induratione benigna agere, quum observationes accuratissimae ostenderint, indurationes malignas, scirrhum, steatoma, tubercula cet. nunquam simplicis inflammationis sequelas esse, sed cachexia quadam provocari, quae clandestino et fallace modo per organismum serpit. (2)

Renes indurati ambitum majorem accipiunt, ita, ut tumores forment ad hypochondria et régiones iliacas extensos. Accidit etiam ut propter insolitam extensionem cum aliorum organorum vitiis confundantur (3). Attamen in simplici induratione amplificatio voluminis rarius observatur, quam in aliis desorganisationibus, quas hoc loco silentio praeterire mihi proposui.

Certissimum indurationis signum inflammatio praegressa est, quae neque criticis phaenomenis soluta est, neque in suppurationem transiit. Si inflammationis signa non plane desierunt, si urina parca, pellucida et aquosa permanet, si frigoris sensus vel ponderis cujusdam, in regione lumbali pendentis, accedit, si crus et pes lateris affecti macrescunt, oedematosi fiunt, indurationem exortam esse, concludendum est. Ab induratione autem maligna, imprimis scirrhosa, non semper facile dignosci potest. Si in uno tantum latere locum habet, per longum temporis spatium sine magnis molestiis perdurare potest. Alter enim ren vices aegrotantis suscipit. Si pars modo renis alter-

(1) Koenig: pag. 144.
(2) v. Walther in v. Graefe und Walthers Journ. f. Chir. und Augenheilk. Bd. V. Stück 2.
(3) M. Troja l. c. pag. 37—38.

utrius induratione laborat atque malum non magnopere increvit, saepissime medici oculos plane fugit. Prognosis multo melior quam aliorum morborum secundariorum atque curatio haud raro optimum eventum obtinet, si remedia resolventia atque leniter excitantia interna et externa caute et perseveranter adhibentur Prae ceteris autem ad dyscrasias aliasque causas praedisponentes diligentissime respiciendum est.

C. De hydrope renum.

Nephritidis morbis secundariis sine dubio etiam hydrops renum s. renalis (1) adnumerandus est, utpote qui ex chronica irritatione renum atque exsudatione serosa originem ducat. Haec affectio rarissima quidem est et nostris temporibus parum cognita; jam P. Frankius autem speciem peculiarem hydropis hanc formare contendit. Symptomata ejus pathognomonica pauca sunt, ad quae secundum medicos Anglos atque P. Frankium haec pertinent. Aegroti dolorem prementem, obtusum, vel etiam pungentem (id quod imprimis in adolescentibus fieri solet) in regione lumbali persentiunt. Dolor periodice adaugetur, motus columnae vertebralis, imprimis antroversio et flexio corporis, molestissimi sunt. Dolores ex regione lumbali secundum ureterum decursum vesicam versus descendunt. Huc accedit vomitus chronicus vel spontaneus, vel cibis ingestis provocatus, atque obstructio alvi. Post aliquod temporis spatium tumor lateralis in altera regione lumbali exoritur, vel

(1) Anderson quidem morbum Brightii, paulo infra describendum, hydropem renalem nuncupavit, ad affectiones hydropicas respiciens, quibuscum saepissime conjunctus est. Apparet autem, illud cognomen esse rejiciendum, quum jam alius morbus a pathologis ita nominetur. Alioquin summa significationum confusio vix vitari poterit.

antrorsum vel retrorsum prominens. Abdomen inflatum, cutis oedematosa, fluctuatio tumoris magis minusve perspicua.

III. Schoenlein (1) duas hujus morbi species distinxit. In priore ureteres permeabiles sunt, aegroti immensam urinae copiam mittunt, quae interdum ad octo mensurarum quantitatem intra nychthaemeron evehitur; urina pallida, subviridis, albuminosa. Praeterea vesica urinaria dilatata esse videtur. In altera specie, in qua ureteres vel calculis obstruuntur, vel vitiis organicis comprimuntur, lotii copia multo minor, urina subrubra, fusca, parca, turbida; tumor autem in regione lumbali atque dolores multo acriores.

Koenig (2) hunc morbum in foeminis saepius observari, quam in maribus, contendit; Schoenlein autem rem contrariam expertus est.

Quod ad aetiologiam hydropis renalis attinet, P. Frankius quidem originem ejus semper mechanicam esse contendit, ita, ut ureteres comprimerentur atque lotium, in renibus retentum, horum dilatationem efficeret. Jam vero alii casus observati sunt, in quibus nullum impedimentum mechanicum adfuit, atque renes nihilominus saccorum instar amplificati erant (prima species Schoenleinii). Praeterea hoc fluidum majorem exsudati hydropici, quam urinae similitudinem praebuit. Quae autem vera hujus morbi natura sit, adhuc in tenebris latet: Schoenlein autem rectissime augurari videtur (2), inflammationem chronicam et maxime quidem irritationem, dyscrasia quadam provocatam, ei subesse. Huc prae ceteris arthritis atque exanthematum chronicorum suppressio pertinet.

---

(1) l. c. V. III. pag. 214 cet.
(2) Koenig: praktische Abhandlung über die Krankheiten der Nieren. Leipz. 1826.

Exitum lethalem nunquam vitari posse, si morbus sit manifestus, omnes auctores consentiunt, quum destructio organi, ad vitam maxime necessarii, insanabilis sit. Decursus morbi lentus. Prognosis pessima, cura modo palliativa. Irritatio renum hirudinibus, cucurbitulis aliisque derivatoriis remediis est minuenda, dolores balneis tepidis, potibus oleoso-mucilaginosis demulcendi, vires sustentandae sunt. Si morbus cum dilatatione vesicae complicatus est, catheter est applicandus.

D. De morbo Brightii.

Quartus morbus memoratu dignissimus, qui recentissimis demum temporibus innotuit et ab anglis medicis primum descriptus est (Blackall, Wells, Bright, Cristison, Gregory,) cujusque natura in inflammatione renum chronica posita esse videtur, est concentratio renum sive hydrops renalis (Anderson), albuminuria (Solon), nephritis albuminosa (Rayer), Cel. Bright, qui primus observationes, sectionibus comprobatas in lucem edidit (1), hanc renum affectionem morbum granulosum nominavit, quippe qui ad desorganisationem peculiarem respiceret, quam in cadaveribus invenerat. Recentiores autem scriptores recte adnotarunt, non in omnibus casibus granulosam renum affectionem reperiri, sed varietates diversas existere, quae tamen omnes ad eundem statum morbosum pertineant. Quam ob rem, si de morbo Brigthii agitur, a voce „granulosi" abstinendum est. Hoc autem jam constat, morbo isto genus peculiare constitui, quod antea propter accuratas cadaverum sectiones neglectas medicorum oculos fugerat.

---

(1) Bright, Reports of medical cases, selected with a view of illustrating the symptoms and cure of diseases. Lond. 1837.

Utrum vero chronicae inflammationi adnumerandus sit, nec ne, non omnes omnino consentiunt. Itaque singulas rationes enumerare oportet, quibus ad hanc sententiam de ejus natura ferendam adducar. Antea autem symptomata essentialia brevibus exponere liceat.

Praecipuum hujus morbi symptoma urina plus minusve albuminosa est. Nec tamen hoc unicum criterium ad diagnosin confirmandam sufficit, quum etiam in aliis morbis, tum acutis tum chronicis, albumen in lotio inveniatur. Quamobrem alia indicia et objectiva et subjectiva, localia et universalia, ex morbi decursu petenda sunt. Saepe horroribus aliisque febris indiciis morbus incipit, quae tamen quandoque tam levia sunt, ut ab aegro vix percipiantur. In morbi exordio dolor in regione lumbali magis obtusus quam acutus, et pressione provocatus et sponte existens, saepissime observatur. Lenior quidem est quam acerbissimae affectiones, quibus aegroti in nephritide vexantur, tamen neque medici neque aegri observationem fugit. Sensim sensimque dolores mitiores fiunt atque in stadiis provectioribus tantummodo sensus quidem molestus et lassitudo remanent. Dysuria atque stranguria saepissime accedunt, neque non sensus dolorificus et tendens per ureteres versus vesicam propagatur. Urina, cujus inspectio atque analysis chemica, maximi momenti est, magis spumosa quam in statu sano, atque parcior invenitur. Spumae non solum post missionem lotii diutius perspicuae sunt, sed etiam, si urina agitatur, celerius apparent. Odorem urina fere nullum praebet, neque, si diutius in vase asservatur, foetorem istum ammoniacalem dictum, tam cito offert. Quod ad colorem, modo plane normalis, modo rubra, fusca, subflava, potissimum autem pallida et turbida est; interdum sanguinolenta. Spissitudo atque reactio chemica non semper eadem, sed, uti apud homines sanos, variabilis, plerumque autem, quum salibus urinae peculiaribus et principio urico careat, minus spissa est, atque rarius

aciditatem ostendit. Ad albumen cognoscendum calor et acida mineralia, imprimis nitricum, aptissima sunt, quibus coagulatio illius efficitur. Si urina reactionem alcalinam praebet, coagulum, quod paucis acidi nitrici guttulis instillatis provocatum est, paulo post evanescit, quippe acidum nitricum substantiis istis absorbeatur. Simulatque autem majorem acidi nitrici copiam affuderis, statim coagulum redibit. Hoc vel nubeculam albidam, lacti similem format, in medio suspensam, vel funditus praecipitatur. Etiam calore hoc praecipitatum oriri potest, ita tamen, ut, si omnes reactio acida urinae deest, aliquantulum acidi nitrici affundi necesse sit, priusquam urina calefiat; tum ebullitione turbatur atque flocculi albuminosi apparent. Ex his patet, ad morbum Brightii defectum principii urici atque salium et albuminis abundantiam pertinere. Praeter haec symptomata localia etiam totus organismus affectionis gravioris signa exhibet. Accedit cephalaea in regione frontali, plus minusve vehemens, uti Bright in descriptione morbi attulit. Christison et Solon autem, qui post eum observationes de eodem morbo in lucem ediderunt, hoc symptoma, a Cel. Bright essentiale vocatum, plerumque desiderarunt. Pulsus saepissime major normali atque durior, in primo stadio frequentior, postea rarior. Sanguis e vena missus saepe crustam inflammatoriam ostendit, praeterea autem seri abundantiam. Christison (1) analyseos chemicae ope principium uricum in sanguine ipso invenit. Aliud symptoma accessorium, quod nonnulli semper adesse crediderunt, hydrops partialis est, oedema fugax, ita tamen, ut hydrops anasarca fere semper a pedibus ordiatur atque sensim sensimque a partibus inferioribus ad superiores adscendat.

---

(1) Edinb. med. and surg. journal 1829. observations on the variety of dropsy which depends on diseased kidneys, by Prof. Christison.

Anasarca universalis a morbo nostro fere plane abest. Si aegroti convalescunt, oedema contrario modo, quam accesserat, evanescit, ita, ut partes superiores primum liberentur. Haec hydropis anasarca species non solum ambitum minorem habere solet, sed etiam molliorem consistentiam. Ad hydropem anasarca, si diutius perduravit, etiam hydrops ascites, hydropericardium et hydrothorax accedere possunt; ascites frequentissimus est. Attamen etiam, sine ulla affectione morbum Brigthii adesse posse, recentiores observarunt Denique ventriculus et tubus intestinalis per consensum laborant, id quod ex vomitu et diarrhoea patet, quibus aegroti in extremo morbi stadio infestantur.

Quod ad diagnosin pertinet, morbus Brightii facile cum aliis hydropis speciebus confundi potest, quum etiam in iis affectionibus, quae morbos chronicos hepatis, cordis aliorumque organorum sequuntur, albumen in urina inveniatur. Itaque lotio albuminoso morbus noster nondum extra omnem dubitationem ponitur, sed magis ad decursum morbi et ad seriem reliquorum signorum respiciendum est. Quodsi igitur ascites hydropem anasarca antecessit, si non pedes primum efficiuntur, vel in aliis visceribus vitia organica apparent, suspicio morbi istius rejicienda est.

In haematuria urina albuminosa modo tamdiu manet, quamdiu sanguinis vestigia affert.

Diabetes maxime permagna urinae copia excellit eoque a Brightii morbo differt, in quo, uti supra dictum est, quantitas lotii potius minuitur. Praeterea albumen in urina raro adest et si invenitur, convalescentiae signum habetur.

In nephritide acuta status febrilis perstat, oedema deest, dolores sympathici simul sentiuntur, cum retractione testiculi conjuncti. Praeterea in morbo Brightii uterque ren laborat ideoque dolor obtusus in utroque latere sentitur; contra in

nephritide, quae rarissime utrumque renem corripit, dolor alter utrius lateris est.

Denique negari nequit, etiam in urina critica aliorum morborum febrilium (exanthematum, inflammationum cet.) albumen inveniri; hic vero id discrimen locum habet, quod urina albuminosa in morbo Brightii persistit, in illis morbis modo temporaria est.

Morbus Brightii quoad decursum et acutus et chronicus esse potest. Ad acutam ejus speciem imprimis illae affectiones hydropicae pertinere videntur, quae febres exanthematicas, scarlatinam aliasque interdum sequuntur atque methodo antiphlogistica optime debellantur.

Cadaverum sectiones non in omnibus casibus, qui per vitam morbi nostri symptomata obtulerunt, easdem mutationes organicas ostendunt. Brightius ipse tres species ejus invenit et descripsit easque pro variis formis unius ejusdemque affectionis habendas esse putat. Vel enim substantia renum emollita, colore luteo, superficie fere tuberculosa atque locis eminentibus pallidis praedita; vel substantia corticalis hic illic granulata, volumen autem adauctum est; vel consistentia, fere cartilaginosa, forma lobularis est. Auctores recentiores praeter has formas alias varietates enumerarunt, nominatim Solon septem attulit. Hae omnes autem in eo consentire videntur, quod vel hyperaemiam vel hypertrophiam aliasve vegetationis auctae sequelas praebeat. Longum est, singulas hoc loco exponere. Tantum addere mihi liceat, me quoque in nosocomio Caritatis Berolinensi in clinico medico, quod Cel. Wolff moderatur, cadaverum sectionibus interfuisse, in quibus renes hypertrophici et sanguine repleti inventi sunt. Uterque autem ren in ambobus casibus, qui jam per vitam ad morbum Brightii relati sunt, diversum degenerationis gradum obtulerunt, ita ut renes sinistri sanguine minus abundarent.

Quod ad aetiologiam pertinet, experientia satis docuit,

quamque aetatem et constitutionem morbo Brightii submitti posse. Attamen etiam vitae genus aliquantulum confert ad eum provocandum; qui enim in locis humidis vitam degunt, vel nutrimentis dyspeptis vescuntur, vel spirituosis abutuntur eoque hyperaemiam activam, vel passivam adsciscunt, maxime propensi esse videntur ad hanc renum affectionem. Pariter dubitari nequit, quin morbis organicis cordis, quibus sanguinis circulatio impeditur atque congestio passiva ad viscera abdominalia adaugetur, eadem affectio renum provocari queat.

Ex his omnibus, quae in paginis praecedentibus exposita sunt, verisimillimum mihi videtur, naturam morbi ejus esse subinflammatoriam, vel saltem congestivam.

Sectiones cadaverum, initio morbi institutae, semper affluxum sanguinis uberiorem versus renes monstrarunt. Hyperaemia igitur renalis sine dubio adest, quae a substantia corticali versus medullarem procedit, a vasis capillaribus ad majora prorepens. Irritationem subinflammatoriam subesse dolor in regione lumbali, pressione augescens, pulsus saepe frequens, calor cutis intensior, confirmant. Porro causae praedisponentes et occasionales, abusus spirituosorum, refrigerium, transpiratio cutanea suppressa, aptissimae sunt ad statum congestivum in renibus provocandum. Denique etiam methodum antiphlogisticam omnium optimam esse ad morbum Brightii, dum in stadio incrementi versatur, sanandum, omnes omnino consentiunt. Postea quidem ad diuretica validiora, radicem scillae aliaque confugiendum est; in exordio autem morbi venaesectiones, hirudines, cucurbitulae summa remedia externa sunt, digitalis purpurea et kali nitricum interna. Huc etiam accedit, quod hydropicae affectiones, quae morbos exanthematicos insequi solent, antiphlogosi optime depelluntur, id quod experientia satis docuerat, antequam natura horum malorum satis cognita esset.

His rebus accurate perpensis, non temere me facere ex
istimo, si degenerationes organicas renum, quae in m. Ba
observatae sunt, irritatione subinflammatoria effici, eamque ol
causam malum illud nephritidis morbis secundariis adnumeran
dum esse, censeam.

VITA.

Ego, Emanuel Jacobus Adler, religioni mosaicae addictus, Rigae, Livoniae oppido, natus sum die primo mens. Sept. a. MDCCCXII; patrem optimum, Jacobum Sigismundum, Rigae scalptorem sigillorum lapidumque, ex octodecim annis defunctum lugeo; matris carissimae Christinae, e gente Gordon, et vita et valetudine laetor. Litterarum primis elementis eruditus anno hujus saeculi vigesimo sexte Gymnasii, quod tum temporis Cel. Keussler directore floruit, discipulis adscriptus sum. Rebus familiaribus coactus tribus annis post scholam hanc reliqui, et rebus pharmacenticis per tres annos studui. Adjutoris examine in universitate Dorpatensi rite absoluto

annoque linguarum studiis aliisque praeparationibus i
penso, Regimontum me contuli, ubi a prorectore mag
fico Schweickard die vigesimo sexto mens. Sept. a
MDCCCXXXIII. inter cives academicos receptus et
Ill. a Baer cultorum medicinae numero adscriptus su

Qua in universitate hisce interfui scholis. Docuer
me Ill. Rosenkranz logicen et philosophiam practica
Ill a Baer zoologiam, zootomiam, anatomiam comparata
splanchnologiam, Cel. Burdach jun. osteologiam arte
que cadavera rite secandi, Ill. Burdach sen. physiologia
anatomiam generalem, Ill. Dulk chemiam, Ill. Mey
botanicen; beat. Dietz materiam medicam; Ill. Sac
pathologiam generalem et therapiam; Ill. Seerig chir
giam et operationes chirurgicas in corpore mortuo.

Clinicum et policlinicum medicum et chirurgicam d
cibus Ill. Dietz, Sachs, Seerig frequentavi et ip
aegrorum curam suscepi.

Jam vero triennio elapso Berolinum me contuli
a rectore magnifico mensis Nov. anno MDCCCXXX
civium academicorum numero adscriptus, apud I
Wagner, facultatis medicae Decanum, nomen p
fessus sum. Hac in universitate exercitationibus m

dicis, chirurgicis et obstetriciis virorum Ill. et Cel. Rust, Wolff, Barez, Jüngken, et Busch interfui.

His viribus omnibus, summe venerandis, gratias ago semperque habebo quam maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Medicus ipse remedium.
2. In Semiotice facies magni momenti.
3. Aquae frigidae usum externum, nimis diuturn[illegible] praecipue localem, congestionem afferre ejusque [illegible] quelas, contendo.
4. Diabetes non morbus inflammatorius, sed colliquativ[illegible]
5. Syphilis, et primaria et secundaria, sine merc[illegible] sanari potest.
6. Motus statim post coenam fortiores morborum ab[illegible] minis organicorum causas praebent multas.
7. Hydrocephalus, tum acutus, tum chronicus, e re[illegible] functionibus laesis saepe originem ducit.
8. In delirio tremente aquae frigidae affusio ite[illegible] summum remedium.
9. Frequentatio scholarum pomeridiana puerorum v[illegible] tudini atque virium evolutioni nocet.